



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**REPERTO||RIVM LIBRORVM TRI||VM IOANNIS BOEMI DE  
OM||NIVM GENTIVM RITIBVS,||**

**Boehme, Johann**

**Augustæ Vindelicorum, 1520**

**VD16 VD16 B 6316**

Georgivs Clavvs Philaretvs.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98144)

Tris totos annos ex magnis scripsimus illos  
 Authorum magna sedulitate libris :  
 Quauiter euoluas foliatim cuncta: sequetur  
 Non minus insignis lausq; decusq; tibi  
 Quae quondam erranti per mundum cessit Vlyssi  
 Aeneaq; pio Thyrsigeroq; deo.

IOANNES HIERSDORF CIVIS ME  
 MINGENSIS LECTORI.

Totius hic liber orbis habet mores faciemq;  
 Atque hominum quicquid discolor vsus habet :  
 More suo quaeuis gens est depicta: nec vlllo  
 Tale quidem in lucem tempore venit opus :  
 Quale vides praesens: breuibus nam plurima: sparsim  
 Nempe alias magno lecta labore: tenet  
 Hercle tulit multos auctor mihi crede labores:  
 Quare illi grates gratus amice refer.

IOANNES CLAVVS PHILEREMVS  
 BOEMO SVO.

Multorum trifido populorum quisquis in orbe  
 Multiplices mores iuraq; nosse volet  
 Hunc nitide scriptum multo sudore libellum  
 Sedulus euoluat docte Boeme tuum  
 Qui breuis & doctus complectitur vndiq; mores  
 Et ritus varios & loca multa soli  
 Pluribus e grauib; scriptoribus ista fateris  
 Te sumplisse breui conspicienda libro  
 Perpetuas igitur lectores dicere grates  
 Debent merito docte Boeme tibi.

EIVSDEM AD LECTOREM

Omnia per mundi sinuosi climata mores  
 Cunctarum hoc lector codice gentium habes  
 Perlege dignanter dedit hosce Poeta Boemus  
 E varijs claris lector amice libris.

GEORGIVS CLAVVS PHILARETVS.

Si totum regionatim peragraueris orbem  
 Vt mores hominum noscere mille queas  
 Vt mage vel prudens Ithacensi habearis Vlysse  
 Certior hoc ( credas ) non eris ipse libro

Mos qualis ritusq; fiet, quis victus amictusq;  
Omnibus in lato gentibus orbe refert.  
Non famosa rudis sequitur mendacia vulgi  
Sed semper grauium scripta recepta virum.

HENDECASYLLABON IOANNIS BO-  
EMI AVBANI AD LECTOREM

Mores nosse volens & instituta  
Cunctarum omnia gentium per orbem,  
Naturam atq; situm omnium locorum,  
Præsentem petat & legat libellum.  
Attestabitur is scio patenter,  
Non sic Herodotum, haud quidem Strabonem,  
Haud Trogum, neq; Plynium, haud Solinum,  
Scriptorem haud Siculum, haud senem Berosum,  
Facundis aliquid nec ex nouellis,  
Non Papamq; Pium, Sabellicumq;  
De rebus breuius fideliusq;  
His tractasse, videre nationes  
Hic omnes Asiæ queat vagantes,  
Perlas atq; Arabes, Scythas & Indos,  
Parthos, Assyrios, Syrosq;, Medos,  
Europæ pariter Gethas Dacosq;,  
Thraces, Sauromatasq; Pannonescq;,  
Germanos, Italos, Gallos, Iberos,  
Hybernos quoq; Cantabros, Brytannos,  
Et gentes titulo sub Aphricano,  
Pœnos, Æthiopes, & incolentes  
Ægyptum, & Libyæ aridas arenas,  
Nonnullasq; per insulas morantes,  
Turcarum insuper atq; Tartarorum  
Sectas, Christigenumq; nationum,  
Quæ late dominantur & gubernant  
Nunc regna Imperia atq; principatus  
Mundum præualide per vniuersum,  
Quare candidus hic repente lector  
Adsit conspicuum librum reuoluens,  
Hæc vt commoda consequatur ampla.